



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 4. Principium 4. Posse quis non dicitur, quod contra Jus potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Praxis.

Hinc deducitur 1. Culpâ carere eum, qui aliquid non potest, quando non potest, uti in §. si impossibilis Instit. de

Deducitur 2. Si quis Matrimonium contrahat eâ conditione, ut generatio Proles evitetur, vel uxor pro quæstu adulterium se tradat, non subsistere Sacramentum, quia hanc conditionem Ecclesia non habet pro non adjecta.

Deducitur 3. Nec ægros, nec debiles obligati ad sacrum Festo audiendum, si sine gravi difficultate aut periculo ad Festum se conferre non possint, nec aliam audiendi sacri rationem habeant, uti communis docet sententia.

§. IV.

PRINCIPIUM IV.

Posse quis non dicitur, quod contra Jus potest.

Sensus.

Hoc est, quando quis physicè quidem actionem aliquam præstare potest, sed ita, ut necessariò simul aliquam legem violare debeat, tum perinde in morali Hominum æstimatione ad talem actionem impotens censetur, ac si ne physicè quidem potentiam haberet.

Authoritas.

Desumptum est ex c. 18. de Rescript. & c. 8. de consuetudine, illudque approbat Barbosa in tract. de axiom. verbo, quodam multis aliis.

Ratio.

Quia, cum talis actio nunquam sine peccato fieri possit, ratio dicitur ab ea abstinendum esse, ac si simpliciter quis illam exercere non posset.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Infirmarium, qui non potest ægrum a periculo vitæ deserere, censei debere impotentem ad Festum die Festo audiendum, uti docet communis Theologorum.

H h

Dedu-



Deducitur 2. Eum, à quo petitur maleficii dissolutio, posse suam operam addicere, si non sciat aliter, quam aliud maleficium id dissolvere, quia id esset inducere ad peccatum, & actui intrinsecè malo cooperari, uti rectè Sanch. Lessius & alii apud Bufenb. l. 3. tit. 1. de prim. prac. notant.

Deducitur 3. Eos, qui multis annis contra Jus communitatis usurpârunt potestatem eligendi, non posse dictam consuetudinem allegare ad Electionis privilegium manu tenentium. Ita in dict. c. 8. de consuet. definitur.

§. V.

PRINCIPIUM V.

Legibus, & non exemplis est judicandum.

*Sensus.*

Hoc est, si aliquis aliorum facta advertit, non debet illis imitari, sed timè judicare, quòd licitum sit eadem imitari, nisi probè judicare possit, ea legi naturali vel positivæ conformata esse.

*Authoritas.*

Desumptum est ex le. nemo. C. de sent. & interdict. Item ex le. sed licet 12. ff. de officio Præsid. illudque approbant communiter Doctores.

*Ratio.*

Quia, cum Exempla & Facta varias ad bonitatem circumstantias requirant, facilè contingere potest, ut, quod ab aliquo in certis circumstantiis licitè fieri poterat, illud sit alteri ob aliarum circumstantiarum positionem.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Judicem non debere attendere, quod Antecessores judicaverint, sed quid legum æquitas hinc nunc requirat, uti in cit. le. nemo. dicitur.

Deducitur 2. Religiosum, si videat alios ex privilegio aliquid facientes, non hoc ipso arguere debere, id sibi quoque licitum esse, cum Privilegia sæpe uni, & non alteri commendantur, uti docet communis Theologorum, & colligitur